

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

90. Aqua philosophica Basili

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

subitò claude fistulam linteo madido, & spiritus impetuosè transiens in recipientem; spiritibus sedatis aliud injice cochleare dictæ materiæ, ita procedendo usque dum nulla materia supersit, & Aquam habebis Gehenneam, dissolvens Auri calcem in instanti in solutionem crassam, de quâ mentionem feci in tertia parte, ut & in secunda clavi, non solummodo Aurum dissolvens sed idem redigens in volatilitatem, &c.

Hoc Balneum Regis describitur etiam à Basilio in Revelatione manualium operationum. Ita,

90. Aqua philosophica ad solutionem Auri Basilii,

Labore primo Revelation. man. operation.

Re. **S**alis petrae, salis armoniaci ana partes duas, lapillorum lotorum partem unam, tere simul, & per retortam (*tubulatam*) destilla aquam in recipientem amplum, injiciens per tubulum duas aut tres uncias; recipientem sit magnus, & jaceat in vase pleno aquâ frigidâ, & lineis pannis humidis tegatur, ut spiritus refrigescant, valdè enim incallescet; juncturas retortæ optimè obtura, ignem succende, & retorta calefacta injice uncias tres materiæ, tubulo statim obturato transibunt spiritus, & recipientem albescent, & guttæ cadent: Cum spiritus confederint, injice denuò uncias tres, obturato statim tubulo, prodece ut prius sapius mutando linteâ madidâ; continua laborem hunc donec aquæ satis habeas, quam obtura optimè, ne evaporet, est aqua vera & Balneum minerale pro Rege.

Basilium æque ac Isaacum sale harmoniaco vegetabili non communi pro suo Balneo usum fuisse, usus ejusdem etiam probat.

Re. Aquæ hujus partes tres, calcis auri partem unam, misce in cucurbita, pone cum alembico super cineres calidos, solvetur; & si non solvatur totum, effusa aquâ affunde novam, & hoc donec omnis calx soluta sit in Aqua; cum refluxerit subsident faeces albæ in fundo, quas separa; aquam omnem conjunge, & in Balneo per diem & noctem digere, facibus denuò remo-

ris

tis per novem dies continuò digere, destilla aquam ut materia in fundo remaneat olei similis, &c. destilla toties donec omne aurum per alembicum transiverit. Ibidem. *Balneum hoc unctuosum aurum cæteraque metalla redigit in olea, quoniam ex oleoso vini phil. spiritu, concentrato & exsiccato in Alkali quodam vegetabili, & Nitri spiritu, confectum est; ubi è contrario sal armoniacum vel Aqua Regis com. metalla ultra suam, id est, salinam naturam transmutare nequit, oleitatem enim quam non habet dare non potest. Isaacus ob Retortæ tubulatæ nondum sortassis tum temporis cognitæ defectum, non parvam spirituum jacturam passus est in hujus menstrui destillatione, quam Basiliius dictæ retortæ ope resarcire annisus est, quamvis & hoc non sine sua difficultate.*

Melius istud confecere Adepti recentiores Crinot, Trismosinus, & Paracelsus, destillationis difficultatem & spirituum jacturam observantes, qui simplici sed meliori modo sal armoniacum vegetabile dissolvebant in Nitri spiritu vel aqua forti absque omni jactura, periculo & tædio.

91. Aqua fortis fortissima Paracelsi,

Libro 3. Arch. de separ. Elem. pag. 7.

R. **S**AL Nitrum, Vitriolum, & Alumen æqualibus partibus, quæ destillabis in aquam fortem, hanc rursus ad suas fæces affundes, iteratoque in vitro destillabis, in hoc aqua forti clarifica argentum, & postea in ipsa sal armoniacum solve.

Nec Paracelsum per sal armoniacum intellexisse commune, etiam ex usu menstrui demonstratur, quem ita describit: His peractis; accipe metallum in laminas redactum, & in aquam resolves ibidem, id est, in eadem aqua, tandem separa per Balneum, rursus affunde. Hoc itera toties, donec in fundo repertum sit oleum, ex sole vel auro spaciendum; ex luna lazurium; ex marte rubeum & valdè obscurum; ex mercurio album; ex saturno lividum & plumbeum; ex venere viride

I i 2

prorsus;